

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum**

**Botsack, Johann**

**Francofurti ad Moenum, 1678**

Caput XIIII. De baptismo, de circumcissione [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

## CAPUT XIX.

DE

BAPTISMO,  
DE CIRCUMCISIONE

supra Cap. 6. de CHRISTO.

## BAPTISMUS ARBOR VITÆ.

1379. *In paradiso primo arbor vitæ erat. In paradiso altero Ecclesiæ restituta arbor vitæ baptismus est, per quem, qui Christo inferuntur, ut ligno vitæ Apoc. 2.v.7. c.22.v.2.&14. vitam prorogant, non enim moriuntur, sed in Christo vivunt, vitæ principe, Act. 3. vers. 15.*

## BAPTISMUS EST BERSABE,

Gen.26.v.33.

1380. *Est enim puteus juramenti. 1. Juramentum ex parte Dei, est de remissione peccatorum & adoptione,*

2. *Ex parte hominum, de obedientia & bonæ conscientia stipulatione, Rom.6.v.4. 1.Pet.3.v.21. Hic est verè fons juramenti, cum Deus ipse peccatores recipiens jurat: Nolo mortem peccatoris, Ezech.18.v.23. Ideò in mortem filium meum tradidi, cui tu in baptismo conspeliieris, Rom.6.v.6.*

## BAPTISMUS NOSTER FONIS

aquæ.

1381. *Angelus Domini Agar invenit ad fontem aquæ, quem ipse monstravit vaganti & oberranti, qua puerum morti vicinum potu refecit, Gen.21.v.19. Agar Eccle-*

Ecclesiam gentilem significare potest, quæ velut exul vagata, antequam Christus, angelus ille vere Jehovah, fontem baptismatis monstraret, quo ablui mur à peccatorum sordibus, & velut aquâ refrigerii refocillamur. Est enim baptismus noster stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum, 1. Petr. 3. v. 21.

## BAPTISMUS EST LAVACRUM.

1382. Lev. 6. v. 27. *Sanguine hostiæ pro peccatis vestis conspersa, aquâ mundatur.* Aqua illa est in baptismo, quo à sanguinibus nostris, Ezech. 16. v. 6. Psal. 51. v. 16. absolvimur. Tit. 3. v. 6. vestis illa menstruata peccatorum, Esa. 64. v. 6. exuitur. Christus cum omni iustitiâ suâ, Matth. 3. v. 16. induitur, Gal. 3. v. 27. Hæc est nova vestis filii prodigi, Luc. 15. v. 22.

Nostræ itaque impuræ vestes sanguine veræ hostiæ pro peccato, Christi scilicet, consperguntur, & in baptismo mundantur.

NATATORIA SILOE, CUM  
baptismo.

1383. Joh. 9. v. 6. 7. *Cæcus à Christo visum recëpit, lotus in natatoria Siloe:* Cæcus ille lutum oculis impositum habuit: ita omnes baptizandi lutum Adami primi oculis suis impositum habent, ut Deum videre aut quærere nequeant, Psal. 53. v. 3. sed Christus jubet nos lavari aquis baptismi, ut lutum peccati abjiciatur, & visum spiritualem recipiamus. Siloe piscina typum baptismi gerit.

1. *Fons* fuit ita dictus, ex quo piscina hæc: Baptismi piscina ex unico fonte salutis Christo Jesu est.

2. *Nomine.* Significat missum: Salutaris noster baptismatis fons de cælo missus est, in nomine Sacrosanctæ Trinitatis,

Rr 4

3, Sca-

3. *Scaturigine & ortu*: Siloa ad radices montis Sion scaturit, Hieron. sup. cap. 8. Esai. Ecclesie radix, in qua radicata, Christus est; ab hoc, & ex hoc baptismi Siloa profluxit.

4. *Fluxu*. Fluit per antra saxi durissimi magno sonitu; Christus saxum & petra durissima, per hunc fluit baptismi Siloa, magnus sonitus notat copiam donorum, & Spiritus sancti magnam.

5. *Aquarum Siloa dulcore*, de quibus Joseph, de bello Jud. lib. 6. cap. 6. Baptismi aquae dulcissimae sunt. Ob dulcissimam Patris, Filii, & Spiritus sancti, misericordiam, bonitatem, quam gustamus renovati, & videmus illuminati, per baptismum scilicet, quando oculi spirituales nobis aperiuntur; unde veteres baptismum *φωτισμὸν* appellaverunt. *Gustate ergo, & videte, quam suavis sit Dominus noster!* Psal. 24. v. 9.

Non spernamus aquas Siloae, Es. 8. v. 6. vel humile Christi regnum, quod ille per aquas baptismi inchoat. Absit supercilium rationis humanae, quae sub fidei captivanda obsequium.

#### BAPTISMUS PUTEUS CLAUSUS,

& puteus juramenti.

1384. *Jacobus puteum clausum Racheli aperuit, quae gregem ipsius potum egit*, Gen. 29. v. 10.

1. *Jacob* Christum designat: puteus clausus baptismum.

2. *Clausus* autem baptismus erat ante Christum, quia novi tantum Testamenti Sacramentum est, patens civibus Hierosolymitanis, Zach. 13. v. 1.

Ergo non amplius clausus, Lapis claudens erat Dei justitia, lex; utramque amovit Christus, omnem justitiam implendo, Matth. 5. v. 15. Legi obedientiam activam & passivam exhibendo, Gal. 4. v. 4.

3. *Ra-*

3. *Rachel* autem Ecclesia est, quæ filios suos hoc sancto lavacro tingit, potat aquâ illâ, quæ nunquam siccare permittit, quia iustitia Christi tota velut imbibitur. Ipse enim in baptismo induitur, Gal. 3. v. 27. Gen. 21. v. 29. *Fontem juramenti ad se transferens, septem agnas obtulit, fœdus cum Abimelecho pangens Abraham: Ita Deus pater unum agnum obtulit Christum, Joh. I. v. 29. In cruce; obtulit in baptismo, ut nostrum sanctificaret baptismum.*

## BAPTIZAMUR IN NOMINE

S. Trinitatis.

1385. *Tria erant tangenda sanguine agni paschalis uterq, postis, & superlaminare: ad indicandum, nos in trium personarum nomine baptizari, & Christi sanguine lavari, in primogenitos Dei adoptari, Apoc. 14. vers. 4.*

## BAPTISMI CAUSA PRINCIPALIS

SS. Trinitas.

1386. *Ante solium judicis mare vitreum Johanni visum fuit, igne permixtum, penes quod steterunt triumphantes, & citharis canentes canticum Moysi, Apoc. 15. v. 3. Est hic & Dei beneficium, & nostrum officium.*

1. *Dei beneficium* est maris vitrei igne permixti, præparatio ante solium, quorum illud baptismum significare potest, qui est *mare* ob divinæ bonitatis profunditatem; *vitreum*, ob verbi & promissorum perspicuam claritatem; *igne permixtum*, ob divinæ iræ significationem, quæ tanta fuit, ut ipsum filium DEI oportuerit suo ipsius sanguine hoc mare baptismi facere. *Ante solium* autem fuit condemnationis, quia peccati reatus tollitur; discretionis, quia iustitia Christi imputatur, Gal. 3. v. 27.

R r 5

2. Ne-

2. *Nostrum* officium est stare, h. e. ad perpetuum servitium esse promptos, Luc. 1. v. 74. c. 2. v. 37. in novitate spiritus, Rom. 7. v. 6. spiritu, Phil. 3. v. 3. Psalm. 2. v. 11. ut servi, Psalm. 123. v. 2. Ita olim ipsi serviemus in regno gloriæ die ac nocte, Apoc. 7. vers. 15. Canticum Moïsi cantare, h. e. gratiarum *σῶσθαι* DEO perfolvere, laudare eum, Psalm. 103. v. 1. in omnibus gratias agere, 1. Thess. 5. v. 18. Coloss. 3. v. 17. quod nos ex Ægypto infernali per baptismum eduxerit.

#### BAPTISMO SERVAMUR.

1387. *In mari rubro Ægyptius peribat*: Idem *Israelita incolumis tranabat*, Exod. 14. Mare rubrum est baptismus, sanguine Christi rubricatus, in quo Satanas suffocatur, persequens nos Pharaon, Apoc. 12. vers. 12. At veri Israelitæ incolumes transeunt, Christo duce, qui cum sepulti sumus per baptismum, Rom. 6. v. 4.

#### BAPTISMO FILII DEI EFFICIMUR.

1388. *Christo in Jordane baptizato, vox de cælo de-lapsa est*: Hic est *filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est*, Matth. 3. v. 17. Cum nos baptizamus, filii Dei dilecti efficimur: in quibus Domino complacitum est, quia Christum induimus, Galat. 3. v. 27. cum ipso sepulti sumus, Rom. 6. v. 4. in quo omnis complacencia est, Matth. 3. v. 17. Rom. 8. v. 15. unde baptismus est conscientiæ bonæ stipulatio, 1. Petr. 3. 21. ad Deum, quocum pacem habemus, Rom. 5. v. 1.

#### BAPTISMO SPIRITUS SANCTUS recreat.

1389. *In prima creatione Spiritus Domini super aquas fere-*

ferebatur, Gen. 1. v. 2. *benedictionem scilicet largiendo:*  
Ita Spiritus S. in creatione super aquas baptismi feretur,  
quibus homines regenerat, Joh. 3. v. 8, Tit. 3. v. 5.

### BAPTISMO MORTUI VIVI- ficamur.

1390. *Sepulchro Elisai injecta ossa arida, emortua vi-  
tam receperunt, animata sunt,* 2. Reg. 13. v. 21. Sepul-  
chrum hoc Christi baptismum notare potest, qui in bap-  
tismo nostri causâ sepultus est, Rom. 6. v. 2. Col. 2. v. 12.  
in quem conjuncta ossa confestim contrita exultant,  
Ps. 51. v. 10. arida virtute Christi revirescunt, mortua spi-  
ritualem vitam recipiunt.

### BAPTISMO LAVAMUR A PECCA- tis, & veste justitiæ induimur.

1391. *Moses Aaronem sacerdotem inauguraturus,*  
*eundem pre foribus tabernaculi lotum vestibus sanctis*  
*ornavit,* Exod. 29. v. 1. seq. Christus nos lavat in bap-  
tismo, ut verus Mose, h. e. extractus ipse prius ex aquis  
baptismi, & nostrum sanctificans, Matth. 3. v. 15. Hinc  
lavacrum regenerationis dicitur, Tit. 3. v. 5. Lotos au-  
tem induit nos veste justitiæ, h. e. seipso, Gal. 3. v. 27.  
exutos primò menstruatis vestibus, Esa. 64. v. 6. tan-  
quam sacerdotes spirituales, 1. Pet. 2. v. 9. Apoc. 1. v. 6. &  
pileum cum corona (sicut Moses d. l. v. 6.) quæ est ju-  
stitiæ, 2. Tim. 4. v. 8. fide applicata imponit. Oleò Spi-  
ritûs S. nos perfundit opulenter, Tit. 3. v. 6. Cingit quoq;  
nos cingulò veritatis, Eph. 6. v. 14. 1. Pet. 1. v. 13. & for-  
titudinis, ut ipsi in justitia & sanctitate seruiamus, Luc.  
1. v. 75. 1. Pet. 1. v. 13. & bonam militiam exerceamus,  
1. Tim. 1. v. 18. & spirituales hostias offeramus, Rom. 12.  
v. 1. seq.

BA-

## BAPTIZATI.

1392. 2. Reg. 6. 6. *Ferrum supernatavit, injecto aquis ligno.* Ferrum humanum genus designare potest, quod quidem suâ naturâ in aquas perditionis mergitur, sed tamen injecto ligno supernatat. Lignum illud Christus est, lignum vitæ, Apoc. 2. v. 7, cap. 22. v. 2. Supernatamus autem, cum damnationem effugimus, Christum induentes.

BAPTIZATI NOVA VIRTUTE  
induuntur.

1393. *Virge Jacobi in aqua posita, novam ovibus virtutem tribuebant,* Gen. 30. v. 37. Ita Christus virga positus est in aqua baptismi, hunc qui verâ fide intuentur, novam virtutem, hoc est, dona regenerationis accipiunt.

## BAPTISMO SERVAMUR.

1394. *Omnis caro interit, qua non in arca fuit servata.* Peccati diluviô omnes intereant: diluvium enim est, quia in omnes pervasit, Rom. 5. At per baptismum fideles servantur, in quo Christus cœlestis Noa nos recipit, & ab aquis damnationis immunes præstat.

## BAPTISMI EFFECTUS

regeneratio.

1395. *Caro Naaman facta est, sicut caro pueri, loti in Jordane,* 2. Reg. 5. v. 14. Jordan noster baptismus est, ad quem accedentes veteres sumus, Adami veteris servi. Regnimur verò sicut modò geniti infantes, 1. Pet. 2. v. 2. caro veteris Adami, quoad peccati reatum & dominium cessare debet, Rom. 6. v. 4.

## BAPTISMUS EST FONDS

apertus.

1396. *In die illa erit fons patens domui David & habitanti*

*ianibus Ierusalem in ablotionem peccatorum & menstruata, Zach. 13. v. 1.*

1. Dies illa est N. Testamenti tempus.

2. Fons est baptismus.

1. *Ob aequalem sui communicationem*: Fons omnibus communicat: ita baptismus omnibus communicatur Ecclesiae civibus: *Docete, baptizate, Marc. 16.*

2. *Ob sordium spiritualium ablotionem*. Sordes animae spirituales tollit baptismus, 1. Pet. 3. v. 21.

3. *Ob spiritualem nostri foecundationem*. Steriles enim naturam sumus: In baptismatis fonte foecundi reddimur. Ut fons, messis nostra spiritualium virtutum venit, Prov. 6. v. 11.

4. *Ob spiritualium aquarum multiplicationem*; Fons in ortu suo parvus est, aquas tamen multiplicat, integro fluens agmine: ita baptismus donorum Spiritus Sancti subinde confert augmentum.

5. *Ob specierum ostensionem*; in fonte velut speculo species visibiles apparent. Deformis quam sit species nostra, in baptismo apparet, qui specie pulcherrimi hominum Christi baptismo prius sanctificandus fuit: in baptismo iustitiae nostrae menstruatae apparet deformitas, Esa. 64. quando haec abijcienda, Christi innocentiae vestis induenda, Galat. 3. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.*

6. *Ob caloris refrigerationem*. Calorem concupiscentiae, conscientiae, irae Dei, legis, mitigat fons baptismi: concupiscentiam sepeliendo, consepulti sumus cum Christo, Rom. 6. v. 4. conscientiam tranquillando, 1. Pet. 3. v. 21. iram Dei tollendo, quia Christo induti comparemus, legem, quia Christus finis legis, Roman. 10. v. 4.

7. *Ob ascensionem in altum*. Fons non latet in terra, sed

fed prorumpit. Baptismi fons per pietatis exercitia prorumpere debet, Rom. 6. v. 4. per gemitus prorumpit ad Deum per Spiritum Sanctum, Rom. 8. *Abbapater*, qui opulenter effusus est, Tit. 3. v. 5.

BAPTISMUS EST LAVACRUM aquæ.

1397. Tit. 3. v. 5. Aqua enim baptismus est.

1. Ob largissimam effusionem Spiritus Sancti, d. 1. Tit. 3. v. 5.

2. Ob æstus peccati refrigerationem, quam sentimus ex baptismo, quia est bonæ conscientiæ stipulatio, 1. Pet. 3. v. 21.

3. Ob conglutinationem Spiritus S. cum corde nostro per aquam baptismi, ob unionem Christi cum nobis, cui inferimur, Rom. 6. v. 4.

4. Ob sitis sedationem: sitis hæc justitiæ, quæ sedatur, quia à Christo omnis justitia impletur, Matth. 3. v. 15.

5. Ob nostri mundationem, Eph. 5. v. 26. à peccatis mundamur.

6. Ob nostri vegetationem: Plantæ Dei sumus, aquâ baptismi vegetamur, nutrimur, spiritualem vigorem retinemus.

Conf. Spiritus Sanctus est aqua, p. c. 3. de Spiritu Sancto.

BAPTISMUS EST AQUA illa.

1398. Ezechieli visa c. 47. v. 2. seq. quæ fluxit ad dextrum latus templi vivificans omnia. Baptismus ad dextrum latus templi fluit & feliciter lavat, omnia vivificat. Piscis extra aquam non vivit: nec nos vivimus

ex-

extra aquam baptismi, pisces spirituales, Matth. 13, 48. alias in peccatis mortui. In aqua nutritur piscis: Nutrimur spiritualiter in baptismi aquis.

## BAPTISMUS AQUA ILLA

viva.

1399. *Fluens de Jerusalem, medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare posterius: in estate & hyeme erit, Zach. 14. v. 8.*

1. Baptismus est aqua illa viva, in spem vivam resurrectionis, renovationis regenerans.

2. De Jerusalem exierunt illæ aquæ: Jerusalem ecclesiam notat credentium, è qua profectum est sacrum regenerationis lavacrum.

3. Medium illarum ad mare orientale, quod fuit Sodomiticum, & occidentale, quod mediterraneum: Totam itaque Judæam irrigavit, quæ duorum istorum terminis marium circumscribitur. Notatur itaque *baptismi communitas*, ad communem ecclesiæ salutem patens latissimè.

4. Durabunt aquæ illæ & hyeme & æstate. Significatur baptismi perpetuitas & perennis ille fontis hujus salutiferi fluxus, quem nec frigus constringere, nec calor aut æstus exsiccare poterunt. Frigus peccatum & corda nostra frigida: Æstus legem, iram Dei tribulationes notare potest. Hæc non exsiccabunt hunc fontem; quid enim exsiccaret vitæ fontem?

## BAPTISMUS EST DILU-

vium.

1400. *Psal. 29. v. 9. Dominus diluvium inhabitare fecit. v. 3. Vox Domini super aquas multas. Vox Domini super aquas baptismi fuit, eas instituendo, per eas*  
rege-

regenerando. Baptismus est diluuium illud, quod Dominus præparavit, quod instituit: Diluuium est aquarum aut extra ripas proruptio, aut effusio per fenestras cœli earundem. Diluuium baptismi est aquarum cœlestium, hoc est, donorum Spiritus sancti largissima effusio & velut extra ripas Veteris Testamenti proruptio, in quo visibilis illa & talis donorum Spiritus sancti effusio locum non habuit. Extra ripas Iudaismi & profelytorum gratia baptismi prorupit, totam Gentilismi sterilitatem inundavit, Matth. 28. v. 19. *Docete omnes gentes, baptizate eas.* Ad eò fenestras misericordiæ suæ aperuit Dominus, & salutarem gratiæ imbrem demisit!

Hoc gratiæ diluuium nobis solatio sit contra peccatorum nostrorum diluuium & exultationem, quæ ripam Dei & proximi transgressa sunt, imò supra caput nostrum, Psal. 38. Inundatio damnationis & diluuium pœnæ ad nos non pertingit. Psalm. 32. vers. 6. Causa est, quia non pertingit ad nos diluuium culpæ, quod absorpsit in baptismo diluuium gratiæ. Inundatio crucis non operiet nos, Job. 22. v. 11. nec inundatio iræ Dei, de qua Esa. 30. v. 28. Ergo triplex diluuium est. 1. Gratiæ in baptismo. 2. Culpæ in peccato. 3. Pœnæ in supplicio.

*Sedebit rex Dominus in æternum*, Exod. 9. Jactatur ecclesiæ navis in mundi diluuiio. Hanc tandem ad portum beatitatis æternæ applicabit, cum rex federe in æternum apparebit in regno gloriæ, qui etiam modo sedet, & gubernat in regno gratiæ: *Vobiscum sum* usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult.

### BAPTISMUS NOSTER VERE EST

Jordan.

1404. I. *Nomine.* Significat fluvium iudicii: Baptismus

ptimus verè est fluvius, pleno divini judicii agmine velut fluens. In baptismo judicium illud *miser cordia* est, *Os. 2. v. 19.* quod nobis in Christo est. Hoc est judicium *equitatis* & *rectitudinis*, quæ aliàs judicia appellantur. In nobis nihil, nisi iniquitas: in Christo innocentia & æquitas, quam in baptismo induimus. *Judicium* Diaboli est, qui judicatur in baptismo, & ut Pharao suffocatur, in Jordane baptismatis.

2. *Scaturigine.* Scaturit Jordan ex monte Libano, amenissimo, frugum elegantissimarum fertilissimo: Christus mons noster refugii fertilissimus spiritualium donorum, de se scaturire fecit baptismi Jordanem.

3. *Brachiorum dualitate.* In duo brachia diffunditur Jordan, quæ postea coeunt & in unum fluvium coalescunt. Ita baptismi duo sunt brachia, *Justitia* & *miser cordia Dei.* Illam Christus implevit, *Matth. 3. v. 15.* hanc nobis contulit, *Tit. 3. v. 5. 6.*

4. *Lepra Naamanis purgatione,* 2. *Reg. 5.* Spiritualis lepra nostra in baptismo tollitur: *Mentis Syre aquas Damasci meliores esse.* Infideles, Syri omnes sunt, baptismi detrahentes, vim ejus, in verbo Dei, *ὀργανὸν* extenuantes.

5. *Terræ Judaica à terra infidelium distinctione.* Jordan baptismi ecclesiam fidelium distinguit à congregatione infidelium. Baptismus ecclesiæ janua & introitus.

6. *Israelitarum transitu.* Jordanem transivere Israelitæ: sic cum illis transitum præbuit Jordan in promissam terram: Nobis transitum præbet baptismus in cœlum, *Tit. 3. vers. 5.* *Salvos nos fecit,* *Joh. 3. v. 5.* Arca

stetit in Jordane, Jos. 3. v. 13. portantibus eam Levitis, Apostoli Levitæ fuerunt; Christum autorem baptismi, prædicantes ubique. Arca Christus stetit, quando ipse fuit baptizatus, Matth. 3. Aquæ steterunt: Damnationis aquæ non operient nos, Johan. 3. vers. 5. *Nisi quis renatus.*

7. *Christi sanctificatione*, quando aquas Jordanis ipse sanctificavit iisdem lotus: ita aquas baptismi Christus sanctificat, ut sint lavacrum aquæ in verbo, Eph. 5. vers. 20.

8. *Cœli apertione*, Matth. 3. facta ad Jordanem: Ad baptismi nostri Jordanem cœlum nobis aperitur.

9. *Spiritus S. Trinitatis gratiosa manifestatione*. Ita in baptismo nostro pater adoptat, filius lavat, Eph. 5. v. 26. Spiritus sanctus sigillum filiationis ministrat.

10. *Ferrinatione*, 2. Reg. 6. quod Elisæus injecto ligno natate fecit: ita omnes homines ferrum sunt,

1. *Ob gravitatem*, quâ damnationis fundum petunt, Ephes. 2. v. 5.

2. *Ob cordis duritiem*, Jer. 5. v. 3.

3. *Ob peccatorum rubiginem*, quæ ipsam animam exedunt, conscientia peccatorum nos pungente, Psal. 32. v. 3. Elisæus ministrorum typus, qui Christum lignum vitæ aquis injiciunt, homines extrahunt.

Elisæ & Elisæi historia alibi tacta & ἀλληγορικῶς applicata est: Vide in indice locor.

Hunc baptismi Jordanem Moses, hoc est, legis justitia transire non potest, Deut. 4. v. 21. 22. Josua transit, Christus scilicet, & nos cum illo, Matth. 3. vers. 15. Ne metuas, non ebibet sacrum hunc Jordanis laticem Satan, Job. 40. v. 18. Conscientiæ nostræ hoc sit solatium, 1. Petr. 3. v. 21.

*Par-*

*Pauper Jordanem transiit Jacob, redux opulentissimus transiit eundem, Gen. 32. v. 10.* Christus nostram paupertatem in se suscipiebat baptizatus, omni se exuebat iustitiâ, ut omnem impleret iustitiam, Matth. 3. v. 15. Redux & ascendens ex Jordane opulentissimus reversus est, infinitas nobis afferens iustitiæ divitias. Duobus agminibus comitatus reversus Jacob: Duo agmina & Judæos & gentes significant, Christum baptizatos, Gal. 3. v. 27. 28.

## BAPTISMUS EST FLUVIUS

1402. *Paradisum irrigans, profluens ex Eden, Gen. 2. v. 10.*

Fluvii proprietates facillè applicaveris; copiam aquæ spiritualis suppeditat, scilicet solatii, 1. Pet. 3. v. 21. mundat, Tit. 3. v. 5. profundus est fluvius baptismi, nempe ob profundam miserationis divinæ abyssum, quam celebrat Apostolus, Tit. 3. v. 5. David, Ps. 29. v. 10. fontem agnoscit Christum. Ut enim fluvius fontem habet, ita ex Christo iustitiæ omnis fonte, Matth. 3. v. 15. manavit baptismi fluvius.

2. *Ex Eden cæli profluit fluvius ille, è cælo baptismus, non ex hominibus est.* Ne dubites, vide SS. Trinitatem, quantum ex Christi baptismo *voluptatis ceperit.* Adest enim

Voce pater, natus corpore, flamen ave.

3. *Irrigans fluvius est, paradisum ecclesiæ irrigat baptismus, agrum cordis humani mollem facit regenerando, ut semen verbi accipiat credendo, Joh. 3. v. 5.*

Ss 2

4. In

4. *In quatuor capita dividitur hic fluvius.*

1. *Sapientia*; Stultitiam mundi confundit Deus in lavacro hoc, quod stultum videtur Syro Naamano, e jusque gregalibus *hodiernis Calvinianis*, baptismum extenuantibus, de quibus aliàs cum Deo. Ergò sapientia hic primus esto fluvius, conf. 1. Cor. 1. per totum.

2. *Iustitia*: Justitiam enim Christi induimus, Galat. 3. v. 27.

3. *Sanctificationis*: Sanctificamur enim in baptismo. Ut spirituales Levitæ purificamur, Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. seq.

4. *Redemptionis*: Per baptismum enim transimus è mari mortuo damnationis, è potestate & tentationibus Satanæ, civibus & incolis cœli adscribimur; quemadmodum Israelitæ transeuntes Jordanem, è deserto liberabantur. Hic sum illud Pauli, 1. Cor. 1. & 30. *Christus nobis factus est à Deo Patre sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio.*

#### BAPTISMUS EST MARE

aneum.

1403. 1. Reg. 7. v. 23. *Salomon fecit mare fusile, duodecim bobus innixum, quorum tres respiciebant ad Aquilonem, tres ad meridiem, tres ad occidentem, tres ad orientem.* Baptismus verè est

1. Mare *ob gratia divina profunditatem*, Tit. 3. v. 5.

2. Mare *ob culpæ nostræ in eo submersionem*, de hoc enim mari verè usurpare possumus: *Projecisti omnes iniquitates nostras in abyssum maris*: ex Mich, cap. 7. vers. 19.

3. Mare *ob amaras regenerationis aquas*, quæ hominibus amaræ sunt, Joh. 3. v. 4. *Quomodo potest homo nasci?* Amarum hoc videbatur Nicodemo.

4. Da-

4. Damnum nostrum erat sicut mare, ita ut nemo eimeri possit, Thr. 2. v. 13. In baptismi mari repertum est medicamen malorum nostro mari.

5. Æneum hoc est mare, quod notat generalem baptismi prædicationem inter omnes gentes, & durationem in Ecclesia Testamenti, Matth. 28. v. 20.

6. Roves duodecim plagas mundi cardinales intuentes, Apostolos significare possunt, baptismum in Christi nomine prædicantes & administrantes.

## BAPTISMUS PRÆFIGURATUS.

1404. *In labro illo, quod Moses statuit inter tabernaculum testimonii & altare, &c. Exod. 40. v. 28.* Baptismus verum illud labrum est, in quo aqua viva, quâ lavamur. Manus suas & pedes lavabant Aaron & filii ejus: In labro baptismi non corporis, sed animæ fordes deponuntur, 1. Pet. 3. v. 21. Accessuri ad altare se lavabant Levitæ: ad verum altare Christum accedere non possumus, nisi prius mundâ baptismi aquâ loti.

## BAPTISMUS EST SÆPULCHRUM.

1405. *Rom. 6. v. 7. Sepulti sumus unâ cum Christo, per baptismum in mortem.*

1. Ob spiritualem nostri cum Christo sepulturam, quæ fit in crucifixione concupiscentiæ.

2. Ob sepulturam veteris Adami, qui deponendus est, & novus ille in Christo homo induendus.

Hoc baptismi nostri sepulchrum in Christo solidissima petra excisum est, in cujus vulneribus abscondimur. Regum olim sepulchra combustis aromatibus, herbisque omnis generis odoriferis lustrabantur, ut patet ex 2. Chron. 21. v. 19. Jer. 34. v. 5. Salutifera herba & flos ille Christus in baptismatis nostri fontè

& sepulchro, igni amoris inexhausti combustus est, quando pro nobis baptizatus.



## CAPUT XIX.

DE

SACRA COENA  
DOMINI.

CHRISTUS ARBOR VITÆ.

1406. Gen. 2. v. 9. *Arborem vite in medio paradisi posuit Deus.*

2. Christus vera arbor, cui nos inferti, Rom. 11. v. 24. ut palmites, Joh. 15. v. 4. sub cujus umbraculis tuti quiescimus, Psal. 91. v. 1. ut viatores fessi, Gen. 18. v. 4. Hæc arbor reficit, Matth. 11. v. 28. Esa. 40. vers. 29. Arbor vitæ est, & spiritualis in hac vita, ipsi enim vivimus, Galat. 2. vers. 20. Philip. 1. vers. 21. quia vivificati ab eo, Ephes. 2. v. 5. 1. Tim. 6. v. 13. & in altera æternæ, Apocalips. 2. v. 7. cap. 22. v. 14. Ipse enim vivit, & nos vivemus, Joh. 14. v. 19.

2. Hanc vitæ arborem posuit Deus in paradiso ecclesiæ, ut ex ea comedamus, & humorem ejus imbibamus, qui sanguis Domini, Hujus caro VERE cibus, sanguisque potus, Joh. 6. v. 56.

FRUMENTUM ET VINUM  
spirituale.

1407. *Isaac Jacobo benedicens ajebat, Gen. 17. v. 37. Vino & frumento prospexi ei. Magnum hoc beneficium!*